

entitative distinctis et perfecte; quin potius si dicatur eandem qualitatem poni secundum diversas rationes sub distinctis speciebus, non est inconveniens, sicut communiter dicitur de calore, qui et est passibilis qualitas, et potentia naturalis, seu passio ignis, et potest etiam esse dispositio. Melior tamen mihi videtur prima solutio, quod scilicet eadem qualitas induat modum aliarum specierum qualitatis, non tamen sit eadem species entitative.

LVI. Si quæras, an gratia sacramentalis possit a Deo dari extra sacramenta, respondendum est quod sub ea formalitate qua sacramentalis est, et quam participat ex reali influxu a Christi passione, non datur nisi per sacramenta de lege ordinaria, quia tamen Deus gratiam suam sacramentis non alligavit, non repugnat quod illa etiam extra sacramenta det. Non tamen intelligas, quod omnis physicus influxus Christi in gratiam causet gratiam sacramentalem; sicut non causavit illam in antiquis patribus, quando cœpit influere physice in ipsos post exhibitam suam passionem; sed tunc causat gratiam sacramentalem, quando sic influit, ut specialiter ordinet gratiam, et hominem cum gratia ad speciales gratiæ effectus, aut ad speciales defectus tollendos, vel speciali modo; sicut potest Deus communicare lucem alicui corpori, et non cum illis perfectionibus et modis, quibus communicatur corpori glorioso.

ARTICULUS III.

Utrum sacramenta novæ legis continent gratiam?

I. Respondet S. Thomas unica conclusione: Gratia est in sacramentis novæ legis ut effectus in causa,

non secundum similitudinem alicujus formæ permanentis, æquivoce productivæ gratiæ, sed secundum virtutem instrumentalem, quæ per modum transeuntis continet effectum. Continent etiam sacramenta gratiam tamquam signa.

II. Hanc conclusionem ostendit S. Thomas declarando, quibus modis aliquid contineat alterum; et relictis aliis, duo tantum faciunt ad propositum, scilicet, continere aliud tamquam signum suum signatum, quia continet illud significative, et sicut causa continet suum causatum, sicut dicimus effectum præhaberi in causa secundum virtutem causæ. Sacramenta ergo cum sint signa, oportet quod significative contineant suum significatum, quod est gratia: similiter cum sint causæ gratiæ, non principales, sed instrumentales, dicuntur continere gratiam sicut causa continet effectum. Cum autem causa contineat effectum ratione virtutis suæ, qua est productiva effectus, et ordinatur ad illud; eo modo quo causa habuerit virtutem ad effectum, continebit illum; sacramenta autem non habent virtutem per modum formæ, sive æquivoce, sive univoce productivæ gratiæ, ut ostensum est, sed solum habent virtutem per modum motionis et transeuntis: ergo continere dicuntur gratiam sicut instrumentum, et sicut virtus imperfecta et transiens ad effectum.

III. Hinc est, quod solutione ad primum ait S. Thomas: « Quod gratia non est in sacramento ut in subjecto, » ut de se patet, quia gratia subjectatur in anima, nec ut in vase, si vas sumatur pro locante, quia gratia non est corpus locatum ab aliquo vase; sed est in illo ut in vase instrumentali, eo modo quo Scriptura sacra solet appellare instrumenta vasa, ut vas electionis vasa interfectionis, quæ continent

interfectionem et mortem instrumentaliter.

IV. In solutione ad tertium advertit duo quæ S. Thomas dicit. Primum est, quod illud spirituale, quæ est virtus addita instrumento, non perfecte existit in eo, sed secundum esse fluens, et incompletum: secundum est, quod ex hoc dicitur contineri a sacramento, quia non perfecte, sed imperfecte existit. Quid autem intelligat S. Thomas per illud esse fluens, dicimus quod non est ipsa entitas gratiæ, sed motio, seu via ducens ad gratiam, non per modum simplicis concursus et productionis, sed productionis elevantis instrumentum; unde ratione illius dicitur contineri gratia, sicut in via continetur terminus, et in productione effectus: et ita ratione illius virtutis dicitur sacramentum continere gratiam virtualiter, si respiciamus ad ipsam formam gratiæ, et ad modum quo talis forma est in subjecto, quod informat; sic enim non est formaliter in sacramento, cum non sit in eo forma gratiæ informando, sed est virtualiter, quia est via ad formam gratiæ informativam animæ. Et sicut virtus causæ est aliquid diversum ab effectu causato, cum tamen ratione illius causa virtualiter contineat effectum, sic sacramentum continet gratiam ratione motionis distinctæ a gratia.

V. Cæterum si respiciamus non ad formam gratiæ, quæ est causanda, sed ad causalitatem et processum ipsius, talem causalitatem sacramenti motio non virtualiter, sed formaliter continet, quia motio ipsa causalitas est elevativa et productiva simul; et ita non est virtus ad causalitatem, sed ipsa causalitas formaliter, quod est attente notandum.

VI. Quoad secundum quod S. Thomas dicit, est advertendum, quod spirituale ut spirituale, et ex genere

suo, est superius ad omne corpus, et supernaturale ad naturale; unde ex genere suo spirituale debet continere corpus, potius quam e contra. Potest tamen contingere, quod illud quod spirituale est, ratione imperfectionis in essendo possit contineri ab aliquo corpore; et id quod supernaturale, ab eo naturale est. Nam si spirituale illud sit transiens et incompletum, quod corpori imprimitur, corpus autem sit permanens in esse, manifestum est quod esse transiens debet contineri, et pendere ab esse permanenti. Sicut in universo videmus, quod licet corpus vivum in gradu entis sit perfectius corpore non vivo, tamen si corpus vivum, non qua vivum, sed qua corpus, est corruptibile et transitorium in modo essendi, et habendi formam, corpus autem non vivum (ut cælum) in modo essendi sit incorruptibile, ab illo pendere potest, et contineri corpus vivum ratione illius imperfectionis; et sic licet illa motio ut procedit a Deo, et intentionaliter communicat virtutem Dei, elevet sacramentum et trahat ad modum suum, non vero deprimatur ad illud, tamen qua ens est imperfectissimo modo et incompleto essendi, pendere potest a re corporea, et contineri ab ea dicitur.

VII. Similiter gratia quæ forma supernaturalis est, licet ut respicit Deum, et est ejus formalis et univoca participatio (non univoca in ratione essendi, sed in similitudine et participatione reali) sic non continetur ab anima, sed potius continet eam, et reducit ad superiorem ordinem; et sic est: *Radix portans*, Rom. xi, tamen eadem gratia, quia in genere entis habet imperfectionem modum essendi, quam anima, scilicet in ratione accidentis, ideo non repugnat quod secundum hanc considerationem contineatur ab anima, et ab ea pendeat; et ex illa ut

ex subjecto educatur. Quæ omnia observa pro his quæ diximus de spiritualitate virtutis sacramenti, quomodo sit in re corporea, et pro educatione gratiæ ab entitate animæ.

VIII. Advertendum etiam est, quod licet S. Thomas solum assignaverit sacramentis duplicem modum continendi gratiam, scilicet ut signum et ut causa, tamen secundum aliquam considerationem potest attendi alius modus continendi, non tam respectu gratiæ in se formaliter, quam respectu virtutis spiritualis. Hanc enim spiritualementem virtutem continet ipsum sacramentum, et tamquam accidens in subjecto (quia sacramentum est subjectum per modum transeuntis illius motionis, et elevationis spiritualis) et tamquam partem in toto, quia sumendo totum hoc conjunctum ex virtute et sacramento, seu sacramentum motum, motio et elevatio consideratur ut pars hujus conjuncti. Hæc tamen continentia non est respectu gratiæ, quæ producit, sed respectu motionis producentis gratiam per instrumentum, et ipso instrumento contentæ.

IX. Conclusio S. Thomæ posita, est jam de fide definita, ut patet in Florentino in decreto unionis, et in Tridentino sess. VII, canone VI; unde modus iste loquendi, quod sacramentum continet gratiam, proprius est, et apud philosophos etiam usitatus, qui communiter dicunt causam præhabere et continere effectum. Qui autem dicunt sacramenta esse solum causas morales, dicunt sacramenta continere gratiam moraliter in ratione influxus moralis et pacti, quo Deus alligavit infallibiliter causam gratiæ sacramentis, scilicet passionem et merita Christi, quæ moraliter influunt, et continent omnem gratiam, sicut etiam meri-

tum continet præmium. Unde et in hoc differunt a sacramentis veteribus, quod sacramenta vetera tantum habebant significare gratiam, et datorem ejus, aut etiam impetrare ratione dispositionis suscipientis; quæ omnia influxum morale non continent, cum non haberent adjuncta merita Christi, et redemptionem passionis ejus. Nostra vero sacramenta taliter sunt signa, quod continent pretium ipsum redemptionis, et valorem meritorum Christi. Unde morale influxum habent, et non sunt signa solum tamquam conditio moralis, sicut argentum signatum est morale pretium, et valor rei emptæ, vel acquisitæ per illum; signum autem promittens talem pecuniam, est conditio moralis rei emptæ, nec influxum habet morale, cum maneat pure in ratione signi, et non habeat adjunctum valorem morale rei dandæ, sicut habent nostra sacramenta ex passione Christi derivata.

ARTICULUS IV.

Utrum in sacramentis sit aliqua virtus causativa gratiæ?

PRIMA CONCLUSIO.

I. Hi qui ponunt sacramenta esse instrumentales causas gratiæ, necessario debent in sacramentis ponere virtutem aliquam instrumentalem ad inducendum effectum. Secunda conclusio: Virtus ista instrumentalis habet esse transiens et incompletum, non sicut causa principalis, quæ habet esse permanens et absolutum.

II. Ratio et probatio primæ conclusionis, præter auctoritatem Augustini et Bedæ in argumento Sed contra allatam, reducitur a D. Tho-

ma ad rationem causæ. Si enim sacramentum causa est, etiamsi instrumentalis sit, oportet quod aliqua virtute exerceat causalitatem suam; omnis enim causa debet esse in actu primo, ut emittat ex se actum secundum; et consequenter debet habere virtutem et activitatem ordinatam ad actum secundum, et ad effectum producendum; ergo cum sacramentum ex entitate sua naturali non habeat talem virtutem, ut de se notum est, oportet quod superaddatur ei virtus aliqua sic causativa.

III. Secunda vero conclusio ostenditur ex differentia operandi causæ principalis et instrumentalis. Causa enim principalis operatur per formam sibi permanentem conjunctam, cui assimilatur effectus; instrumentali autem causæ non assimilatur effectus, per se loquendo, et sic non operatur per formam sibi permanentem conjunctam, sed per subordinationem et motum, quo movetur a causa principali. Non potest autem causa principalis movendo instrumentalem communicare ei formam, per quam agat; sic enim constitueret illam ut causam principalem: ergo movendo illam intra limites instrumentalis causæ, oportet quod circa communicationem formæ activæ eam moveat, et consequenter solum per aliquid transiens, quod per modum motionis, non formæ productivæ se habeat. Si enim communicatur ei virtus, et non permanentem et perfecte, sicut causæ principali; ergo incomplete et transeunter. Et pro qua parte transeunter, dicitur per modum motionis dari, quia quod transeunter se habet, motus est.

IV. Sed tamen semper distinguendus est in instrumento duplex motus, seu actio (sive entitative unus sit, sive non) nempe et ille qui progreditur ab activa virtute instru-

menti, puta in cithara simplex motus fidium, et in securi simplex scissio; alius qui progreditur ex communicatione virtutis superioris, ut in cithara motus fidium artificiosus et musicus; in securi scissio artificialiter producens lectum. Et illa communicatio virtutis superioris, quia non fit per formam permanentem receptam in instrumento, dicitur fieri per motionem, quæ virtutem superiorem intentionaliter continet. Et quia transeunter et incomplete, ideo ad modum motus, quo passive agens superius utitur inferiori virtuose, scilicet, elevando ipsum ut ultra se agat, id est, ultra activitatem propriam, qua simplicem motum poterat producere. Producitur enim simplex motus ab instrumento, ut nititur propriæ activitati; producitur motus artificiosus aut divinus, ut nititur activitati superiori per modum motionis sibi communicatæ. De hac autem virtute satis supra in hac quæstione, art. I, dubio VIII actum est.

V. In solutione ad primum, nota obiter contradicere sibi Cabreram in hoc tertio tomo quatenus super istum articulum explicans solutionem ad primum ait, quod virtus causativa gratiæ, quæ est in sacramentis, est formaliter spiritualis, et non corporalis, quia si esset formaliter corporea, et virtualiter spiritualis, posset esse in subjecto corporeo complete et permanentem, cum nulla sit repugnantia quod entitas permanens elevetur ad effectum spiritualem, sicut elevatur entitas transiens. Quod et ulterius ibi explicat: attamen oppositum hujus docuerat super primum articulum hujus quæstionis, disput. III, §. XIV, num. CXXIX et CXXX, scilicet virtutem illam instrumentalem esse formaliter corpoream, et virtualiter spiritualem: quod et in secundo tomo, quæst. XIII tractans

istam quæstionem dixerat. Contrarietatem in dictis ejus nota.

ARTICULUS V.

Utrum sacramenta novæ legis habeant virtutem ex passione Christi?

I. Prima conclusio: Virtus instrumentalis sacramenti derivatur a Deo mediante instrumentali virtute humanitatis Christi.

II. Secunda conclusio: Gratiam sacramentalem specialiter habent sacramenta communicare ex passione Christi, magis quam ab aliis ejus actionibus.

III. Tertia conclusio ad secundum: Sicut virtus Christi copulatur nobis per fidem, et specialiter virtus ut remissiva peccati per fidem passionis ejus, sic virtus sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, præcipue est ex fide passionis Christi.

IV. Primam conclusionem ostendit S. Thomas ex modo, quo proportionaliter et connaturaliter inter se ordinantur instrumenta. Quando enim ad aliquem effectum concurrunt plura instrumenta, unum conjunctum, et aliud separatum, talis ordo servatur, ut virtus præcipui efficientis derivetur ad instrumentum separatum per conjunctum; sicut per brachium et manum, quæ est instrumentum conjunctum homini, movet baculum aut calamum aut securim, quæ sunt contigua; et rursum per contiguum instrumentum movet disjunctum, puta sagittam aut lapidem, vel aliam quamlibet materiam: ergo cum humanitas Christi sit instrumentum divinitatis ad opera gratiæ, et ad miracula, qua ordinantur ad finem incarnationis, et sit conjunctum ipsi divinitati tamquam natura suo suppo-

sito, oportet quod sacramenta, quæ sunt instrumenta separata, habeant virtutem suam derivatam a divinitate per humanitatem Christi, ut servetur proportionalis et aptus modus utendi ordinate instrumentis; licet verum sit, quod hunc ordinem potest Deus non servare, sed immediate communicare virtutem instrumentis sine media humanitate.

V. Secunda conclusio, præter auctoritatem glossæ in argumento Sed contra inductam, ostenditur a D. Thoma ex ordinatione gratiæ sacramentalis, quæ ad duo ordinatur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, et iterum ad perficiendum hominem in his, quæ sunt ad cultum Dei; sed utrumque derivatur a Christo specialiter ratione passionis ejus: ergo sacramenta novæ legis habent communicare gratiam sacramentalem specialiter ex passione Christi. Major certa est, et ex articulo II hujus quæstionis constat, ubi explicatum est quid diceret gratia sacramentalis supra rationem gratiæ communiter acceptæ. Minor vero ex quæstione XLVIII et XLIX hujus partis supponitur, ubi ostensum est, quod ad remissionem peccati, quantum ad purgationem delicti, specialiter operata est passio Christi meritorie et satisfactorie et efficienter.

VI. Et in quæstione LVI, art. II ad quartum explicat S. Thomas, quomodo specialiter passio Christi concurrat quantum ad remissionem culpæ, scilicet, secundum rationem causæ exemplaris; cum enim in justificatione nostra et sit terminus a quo, qui destruitur, et cui morimur (scilicet peccatum) et sit terminus ad quem, scilicet novitas vitæ, licet quantum ad utrumque passio Christi et resurrectio, et omnes actiones ejus concurrant effective, in ratione tamen exemplaris passio et mors ejus specialiter cau-

sant exemplariter remissionem culpæ, et mortem peccati; resurrectio autem justificationem et novitatem vitæ, juxta quod dicitur Rom. IV: *Quod traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

VII. Igitur tollere defectus peccati, quod est quasi mors peccati, specialiter habet attribui passioni et morti Christi. Similiter Christus per suam passionem initiavit ritum christianæ religionis, quatenus: *Seipsum obtulit oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*, Ephes. V: et ad Hebr. IX dicitur quod: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Unde et novum testamentum in sanguine et morte Christi confirmatum est; nec enim valet, dum vivit, qui testatus est. Igitur initiatio religionis christianæ in novo testamento in morte et passione Christi specialiter facta est. Cum ergo sacramentalis gratia præcipue geminum hunc effectum habeat, scilicet, defectus peccati præteriti tollere, et perficere in ordine ad cultum Dei in religione christiana et novo testamento, oportet quod principium et radix ejus specialis sit passio Christi, et secundum quod est destructiva peccati, et secundum quod est iniciativa novi testamenti et religionis christianæ secundum sacerdotium et pontificatum Christi.

VIII. Tertia conclusio explicatur sic: Quia Christus habitat in nobis per fidem, Ephes. III, et virtus ejus communicatur nobis per fidem; inchoative quidem et fundamentaliter per fidem, etiam informem; perfecte autem et efficaciter per fidem vivam: *Quæ per dilectionem operatur*, Gal. V, dilectio autem seu charitas dicitur: *Vinculum perfectionis*, ad Coloss. III, et ideo fides

per charitatem formata habet copulare, seu esse vinculum ad virtutem Christi, tamquam dispositio ex parte nostra, ut jungamur ei. Si ergo virtus remissiva peccati specialiter pertinet ad passionem Christi, ut explicatum est, fides passionis ejus habet esse speciale copulativum virtutis ejus, et specialiter est dispositio, qua homines liberantur a peccato, juxta illud Rom. III: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.*

IX. Igitur similiter virtus sacramentorum, quæ ordinatur ad tollenda peccata, est ex fide passionis Christi, videlicet ut ex dispositione ex parte hominis, ut ei jungatur virtus passionis Christi per sacramenta. Nec enim intelligendum est, quod sacramenta habeant virtutem justificandi ex fide, sed quod fides est dispositio ex parte nostra, ut applicetur virtus passionis Christi per sacramenta. Et ita oportet, quod specialiter ista dispositio sit fides passionis, si quidem quod specialiter operatur in remissione culpæ, est passio Christi, ut explicatum est.

DUBIUM UNICUM,

Circa secundam conclusionem.

AN SACRAMENTA SPECIALITER HABEANT VIRTUTEM EX PASSIONE CHRISTI.

Conclusio est affirmativa.

X. Præter ea quæ dicta sunt in corpore articuli, est notandum, quod omnes Christi actiones ab instanti conceptionis suæ usque ad ascensionem in cælum, operatæ sunt ad salutem nostram, aliter tamen et aliter. Nam actiones ejus post mortem, cum non essent amplius